12

DE

DIURESEOS PROVOCATIONE UTILI ET NOXIA,

QUAM

SUMMO ADSPIRANTE NUMINE

ET

CONSENTIENTE GRATIOSA FACULTATE MEDICA

PRÆSIDE

DNO. GEORGIO DANIEL COSCHWITZ,

D. DOCT. EIUSDEMQUE IN ACAD. FRIDERICIANA PROF. PUBL. ORDIN. ET POTENTISS. BORUSS. REGIS IN COMITATU MANSFELDENS. ET APUD PALATINOS HALENS. PHYSICO MERITISSIMO

PATRONO AC PROMOTORE OMNI HONORIS CULTU DEVENERANDO

PRO LICENTIA

GRADUM DOCTORIS, SUMMOSQUE IN ARTE SALUTARI HONORES CAPESSENDI

HORIS ET LOCO CONSUETIS

Anno M DCC XXIV. d: April.

Publico & Placido Eruditorum Examini ſubiiciet

IOHANNES ANDREAS ANHAUSEN,

GREUSS. THURING.

HALÆ MAGDEBURGICÆ.

Typis IOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

DEO

ET

PATRIÆ



PROOEMIUM.



EXcreta atque Retenta ad illas res pertinere, quibus ſanitas & vita noſtra conſervatur, adeo vulgatum eſt inter medicos, ut neminem qui ſcholas medicas in primo limine ſalutavit, & de Rebus non naturalibus quidquam audivit, latere queat. Cur autem excretiones adeo neceſſariæ ſint ad conſervationem vitæ ac ſanitatis, id jure aliquam indagationem meretur: cum enim videamus, principaliter conſervationem corporis per nutritionem abſolvi, eamque ingeſtiones, & materiæ nutritiæ adpoſitionem pro fundamento habere, haud ſine omni fundamento quis dubius hærere poterit circa excretionum neceſſitatem & utilitatem. Verum, etiamſi illis qui ordinem naturæ in conſervatione corporis neſciunt, excretionum neceſſitas dubia videatur, longe aliter tamen ſentient illi, qui eundem ordinem cum legibus huc ſpectantibus magis perſpectum habent. Hi enim probe ſciunt, quod corpus noſtrum, in ſalvo manentibus ingeſtionibus, ad immenſam usque molem augmentari neceſſe haberet, eamque mobilitati corporis contrariantem, ſi omnia quæ ingeruntur in corpore manerent, neque per aliquam excretionem minuerent-

 ren-

rentur. Præterea autem probe perpendunt, ipſam corporis nutritionem per ſolam ingeſtionem alimentorum non abſolvi, quamquam ultimus huc ſpectans actus revera in materiæ nutritiæ ſucceſſiva adpoſitione conſiſtat: ſed cognitum ipſis eſt, materiam hanc nutritiam non ita puram atque defoecatam, uti ad negotium nutritionis requiritur, & mixtioni corporis noſtri conveniens æſtimatur, cum alimentis ſuppeditari, ſed potius multis partibus impuris ac quisquiliis involutam exiſtere, ut ſeparatione puri ab impuro indigeant, & id quod purum conſtituit, in corporis nutrimentum impendatur, impuritates autem tanquam rejiculæ ab hoc negotio excludantur. Nec minus perſpectum habent, partes illas alimentorum rejiculas, ſalinas, ſulphureas, mucidas, terreas, variique generis eſſe, quæ, ſi, licet ſeparatæ, in humoribus aut corpore detinerentur, mixtioni animali adverſæ eſſent; eamque diverſimode lædere poſſent, ideoque ſecundum rationis dictamen concludunt, partium illarum excretionem neceſſariam exiſtere.

His omnibus deſuper accedit, quod ipſi humores corporis noſtri proprii ita conſtituti ſint, ut ſub perpetuo motu circulatorio, transpreſſorio, & inteſtino, facili negotio in varias partes excrementitias reſolvantur, quæ ſui eliminationem poſcunt. Quibus ſi ad latus ponamus quotidianam experientiam, facile adparebit, ſanitatem illorum longe firmiorem eſſe, quorum excretiones debito ordine atque vigore ſuccedunt, quam ubi hæ variis ſucceſſuum impedimentis ſubjiciuntur.

Hæc inquam omnia ſi juſte perpendantur, ſatis ſuperque teſtantur de neceſſitate excretionum in corpore vivo obtingentium; & ſummum creatorem in eo maxime conſervationi hominis proſpexiſſe, quod tot & tanta organa conſtituerit excretoria, per quæ impuritates diverſi generis foras eliminari poſſunt.

Non

Non enim ſolus venter obtinuit craſſisſimæ excretionis organum, per inteſtinum rectum, quo partes alimentorum recrementitiæ craſſiores & penitus fœculentæ ejiciantur, ſed quemadmodum in illo locus quoque excernendæ colluviei crudioris ſeroſæ reperitur, ita & caput, & thorax ſuis gaudent emunctoriis, quæ nares & fauces cum aſpera arteria ſuppeditant; & mucidis excretionibus favent: nec ſolæ cavitates hoc privilegio gaudent, verum in tota corporis, cutisque ſuperficie innumera excretoria reperiuntur, ſub titulo pororum cognita, e quibus particulæ ſeroſæ ſubtiliores, cum ſulphureis halituoſis, imo peregrinis aliquando, & miasmaticis, protruduntur.

Cum itaque hæc neceſſitas excretionum in homine vivo legibus naturæ firmata ſit, non mirandum erit, quod Medici eandem nonſolum inculcare conentur, ſed, ſi forſan defectus aliquis in hoc negotio occurrat, conſilia quoque conferant, ut arte ſuppleatur, quidquid ab ipſa natura aliquando denegatur aut retardatur; atque in hunc finem omnem remediorum farraginem perquirant, ut inveniant, quibus ſive hanc, ſive illam excretionum ſpeciem provocare, concitare, facilitare valeant:

Quemadmodum autem vix ac ne vix quidem in hoc mundo quidquam ſenſibus noſtris offertur, quod non ex altero latere conſideratum, ſui commendationem urgeat, ex oppoſito autem deliberationi noſtræ ſubjectum, ſui averſationem ſvadeat, ita ſane prudentiores medici id ipſum abundanter cognoverunt circa evacuationum artificialium provocationes: unde tot regulæ, tantæque cautelæ natæ ſunt in Medicina practica, a medicis obſervandæ, ne evacuationes in ſe utiles & bonæ, ex neglectu debitarum circumſtantiarum peſſimum effectum poſt ſe relinquant.

Nos impræsentiarum eidem viæ insistentes pro THEMATE INAUGURALI unam evacuationum solenniorum selegimus, nempe Evacuationem Diureticam: & quoniam circa hanc, æque ac circa alias excretiones, aliquando defectus, si non semper in totum, tamen in tantum occurrit, necessitas quoque urget, ut pro re nata vel facilitetur, vel positive excitetur; atque in hunc finem remedia huc spectantia exhibeantur. Cum autem Experientia varios suppeditet casus, per quos docemur, non semper æque facile, aut æque utile esse, Diuresin provocare, quin potius satis frequenter eventus atque effectus sequantur, intentioni vel plane non respondentes, vel gravissima symptomata secum ferentes, haud male nos esse acturos confidimus, si in præsenti Dissertatione Utilitatem provocatæ Diureseos, æque ac ipsius Noxas, si intempestive suscepta fuerit, perpendamus, ejusque necessitatem ac utilitatem ex indicantibus, noxas autem ex contraindicantibus deducamus, atque hac ratione verum illius usum demonstremus. Quod ut feliciter in ægrorum solamen cedat atque succedat, SUMMUM NUMEN, ut viribus corporis & ingenii clementissime nobis succurrat, supplices veneramur.

§. I.

De Diureseos Provocatione utili & noxia nobis acturis, statim in limine procul dubio incumbit, ut definiamus, quid per Diuresin, ejusque provocationem intelligamus, quo tanto facilior progressus in deductione utilitatis aut noxæ fieri possit. Circa Nominis definitionem haud erimus prolixi, sed satis nobis erit indicasse, Diuresin quoad originem, vocem esse græcam; compositam ex præpositione Δι & οὔρησις, derivatam a verbo οὐρέω, mingo, aut Urinam emitto. Unde sub hac voce intelligimus actum mingendi, seu excretionem illius materiæ salino sulphureo serosæ, quæ

ex

ex ſanguine & reliqua humorum maſſa in renibus ſequeſtrata, per uretheres ad veſicam urinariam demandatur, & tandem ſub Urinæ titulo voluntarie per urethram emittitur. Per Diureſeos Provocationem autem intelligimus artificium medici, quo per debita remedia, hinc diuretica dicta, hanc excretionem, vel naturaliter quidem præſentem facilitare, promovere, & augere, vel deficientem poſitive provocare & excitare ſtudet atque conatur.

§. II.

Eſt itaque materia hujus evacuationis liquidum aliquod, Urina vocatum, omnino excrementitium, cum nullum poſt ſui ſecretionem corpori præſtet uſum. Conflata enim eſt Urina ex partibus aquoſis, ſub quibus colluvies partium ſalinarum & ſulphurearum craſſiorum, nec non terreo mucidarum, in conſpectum venit; & quarum præſentiam tam ſapor, color, & odor; quam ſedimenta ad fundum ſecedentia, variaque per artem chymicam producta ſpirituoſa atque ſalina volatilia, reſpective ſufficienter probant: Quo intuitu hæc excretio generaliter reſpondet excretioni periphericæ, quam Diaphoreſin vocamus, quoniam per illam ſimilis quoad eſſentiam materia excernitur: in ſudore enim haud ſecus ſalinæ, ſulphureæ, aqueæ, & ſubmucidæ partes ſeſe produnt; ac mediante ſapore, odore, ac colore deprehenduntur: in eo tamen a materia per Urinam excreta differunt, quod hæc longe craſſior ſit crudiorque præ illa, propter diverſitatem organorum ſecretioni dicatorum, cum glandulæ cutis, per quas ſudor excernitur, longe denſiores exiſtant, porisque arctioribus & minoribus dotatæ ſint, ideoque rudes crudasque illas particulas transmittere nequeant. Sequeſtratur autem hæc ſubſtantia ſeroſa excrementitia ex Maſſa humorum confuſanea, quam ſanguinem appellamus, qui non modo ab alimentis quotidie ingeſtis va

ria

rias partes excrementitias minusque laudabiles ſub chylo communicatas, recipit, ſed ſub ipſo motu circulatorio, & per partes poroſas transpreſſorio, facile ſub motus inteſtini acceſſu in ſimiles partes reſolvitur, easque poſtmodum e nexu ſuo dimittit: ne, ſi diutius in ipſo remanerent, ejus mixtionem turbarent, aut ad minimum acrimoniam ipſi contraherent valde noxiam.

§. III.

Organa quod concernit evacuationi noſtræ dicata, hæc ſeſe dividunt in ſecretoria, aſſervatoria, & excretoria. Secretionis organum conſtituunt Renes, in quorum corticali aut vaſculoſa ſubſtantia terminantur vaſorum arterioſorum & venoſorum emulgentium ramificationes, quarum illæ ſanguinem hic depurandum adferunt, hæ vero eundem a partibus illis recrementitiis liberatum ad Venam cavam revehunt. Secedit itaque hæc ſalino ſulphurea portio ſub forma liquida in modo dicta ſubſtantia renum vaſculoſa, per ipſius poros huic ſeceſſioni craſſiori adaptatos: donec ſub motu, tam ſanguinis tranſpreſſorio, quam renum leniter tonico & ſtrictorio, ad eorundem ſubſtantiam medullarem, quam Bellinus tubuloſam eſſe demonſtravit, perveniat, atque per ita dictos tubulos urinarios Bellini in cavitatem renalem, quæ Pelvis audit, depluat & ſucceſſive quaſi colligatur. Et cum pelvis in renibus conſpicuus non niſi expanſio ſit continua Uretheris, hic proxime in utroque latere ſuccedit, tanquam ductus renum excretorius proprius: quoad ſubſtantiam membranaceus, ex tunica triplici, communi nempe a Peritonæo oriunda, muſculari tenui, & nervea interiore compoſitus: a renibus ductu paululum incurvato, & ſub inæquali craſſitie ad veſicam urinariam tendens, cui ab utroque latere ita implantatur, ut intra duplicaturam lamellarum membranoſarum veſicam conſtituentium, per

nota-

notabile spatium progrediatur, suamque per aperturam, urinam a renibus receptam, in cavum vesicæ dilabi patiatur. Vesica itaque urinaria est organum asservationis & collectionis: hæc enim ex tunica membranacea, musculari, & nervea composita, corpus cavum pyriforme, in pelvi abdominis situm habens, constituit atque efformat; quod dilatabile est, & bonam urinæ quantitatem capere potest, dum successive expanditur; simul tamen ob fibrarum musculoso carnosarum stratificationem tam longitudinalem, quam transversalem, constringendi vim habens: quo materia serosa in vesica collecta pro necessitate expelli queat. Unde recte vesicæ adscribitur officium, urinam partim retinendi, partim etiam excernendi; quamprimum enim ab Urina collecta sufficienter expansa fuit, aut citra expansionem a materia salina vellicata & stimulata in tunica interiore nervea, mox inde fit sensationis molestæ communicatio, per nervos, quos vesica ab intercostalibus & osse sacro accipit, ut inde natura motum per eosdem nervos incipiat, qui fibris carneo musculosis communicatur, quo illæ stringuntur, parietes aut latera vesicæ ad invicem comprimunt, ut materia inclusa per viam proximam, proximeque patulam extrudatur, ad quem motum extrusorium haud parum quoque conferunt musculi abdominis & Diaphragma; id quod quisque in se ipso sub nisu, & pressione aeris concurrente experiri potest.

§. IV.

Cum autem hic motus excretorius in statu naturali maxime sit voluntarius, & a voluntate nostra dependeat, sapientissimus rerum Conditor huic negotio ita prospexit, ut in collo vesicæ repagulum quasi positum sit, ne Urina præter voluntatem hominis effluere possit. Hanc ob rationem hic loci positæ sunt fibræ transversales colli vesicæ extre-

mum

mum ambientes, atque in Viris cum inteſtino recto, in fœminis cum Uteri vagina connexæ, quæ orificium veſicæ claudunt, & ſub emiſſione Urinæ, ejusque expreſſione dilatantur, & quaſi relaxantur; remittente autem motu preſſorio in fundo veſicæ, iterum ſtringuntur & coärctantur. Huic demum parti in ordine ſuccedit ipſe ductus excretorius proprius; quem Urethram appellamus, & pro diverſitate ſexus nunc breviorem nunc longiorem deprehendimus. In fœminis enim haud tantum elongatur hic ductus, ſed intra labia pudendorum, infra clitoridem & os pubis, ſubter nymphas abſconditur; cum ex oppoſito in Viris per totum membrum virile continuetur: in quibus hic ductus aut canalis membranoſus, ex duplici tunica validiore compoſitus, ſulco ab interſtitio duorum corporum cavernoſorum efformato inſinuatus reperitur, ibique non ſolius Urinæ, ſed ſimul ſpermatis excretioni inſervit; & pro tanto faciliore hujus negotii expeditione, liquido aliquo mucido in facie ſua interna oblinitur, quod glandulæ partim a Coupero, partim a Littrio obſervatæ ſuppeditare creduntur.

§. V.

Modum evacuationis diureticæ naturalem ſi adumbrare velimus, haud incongrue dicitur, eam abſolvi partim ſtrictura, partim relaxatione fibrarum, quarum priorem cauſatur ſtimulus ſalinus & acris, poſteriorem vero liquidum aqueum, & mucidum, nec non ipſe motus fibrarum ſtrictorius. Urinam enim ipſam materialem proximam cauſam eſſe, quæ acrimonia ſua ſalina nerveam veſicæ membranam ſtimulare, ſenſumque ibi moleſtum efficere poteſt, a nemine facile negari poterit, qui compertum habet urinam ſalinis partibus crudioribus atque copioſis ſcatere, nerveasque membranas, & quidem quo magis tenſas, maxime ſenſibiles eſſe. Quod autem revera ejusmodi ſtimulus in veſica, ab

urina

urinâ contingat, facile quilibet in se ipso experietur, quando vesicam ab Urina distensam non modo, sed revera vellicatam percipit, molestumque sensum hinc sentit. Ordinem quod concernit, quo una alteram producit in hoc negotio causam concurrentem, merito primam in ordine nominamus Urinam, salinis acribus partibus notorie refertam, quæ partim copia sua membranosam vesicæ substantiam distendit, partim pungendo aut vellicando in tunicam nerveam, tanquam vesicæ interiorem, agit; eoque ipso motus speciem in illa excitat, qui per nervos hic excurrentes & supra iam notatos ipsi Animæ communicatur, ut ideam sibi formet de molestia sensus percepti; quo ipsa ad voluntatem excernendi permovetur, eamque ob causam, aliam motus speciem per eosdem nervos suscipit; in ipsam vesicam redundantem; & specialiter in fibras carneo musculosas se exserentem, quo illæ stringuntur, ut parietes aut latera vesicæ ad invicem comprimantur, & materia intus contenta sub illa compressione per aperturam proximam, in urethram hiantem expellatur. Sub hac expulsione materiæ inclusæ necessario collum vesicæ, & cum ipso simul fibræ sphincteris exterius circumpositi dilatantur, quæ ad dilatationem subeundam partim a liquido seroso aqueo, partim a mucida substantia, perpetue hic e glandulis per tunicam nerveam dispersis secreta, disponuntur, ut tanquam flexiles & molles materiæ transeunti cedere possint; cessante autem materia distendente & effluente iterum coarctari. Siquidem autem motus hactenus descripti, ad totum negotium absolvendum, fere insufficientes essent, nisi aliarum quoque partium vicinarum & connexarum motus concurreret non minus a voluntate dependens; hic etiam partium consensus, in naturali earum connexione fundatus symbolum suum confert: notissimum enim est ex anatomicis, Vesicam urinariam non

libere in abdomine fluctuare, ſed partim lateraliter per expanſionem membranaceam, partim ſuperne per Urachum, cum peritonæo, & hinc cum muſculis abdominis, cohærere: cum itaque peritonæum per totam inferiorem cavitatem expandatur, eoque ipſo Diaphragmatis quoque faciem inferiorem obvolvat; non dubitamus, a motibus ſupra deſcriptis per peritonæum & abdominis muſculos, & Diaphragma affici, quo ipſo natura excitatur ut majore intentione huc quoque motus ſuos extendat, eosque voluntarie ibi exerceat, quos quisquam in proprio corpore ſub aëris compreſſione, & niſu muſculorum abdominis preſſorio experiri poterit. E quibus facile liquet, quantus in homine vivo ſit Mechanismi & Organismi nexus, atque neceſſarius concurſus; Medicum maxime docens, quomodo ipſi in evacuationibus per artem provocandis incumbat, ut ipſam naturam organico mechanice operantem pro viribus ſequatur, ejusque ordinem ſequendo, excretiones naturales forſan aliquando deficientes, per debita & legitima adminicula atque remedia excitare aut provocare valeat.

§. VI.

Quod, ſi ad præſentem materiam adplicare velimus, facile ſequitur, in Diureſeos provocatione medicum eo reſpicere debere, ut talia ſibi accerſat remedia, quibus ſimili modo, quo natura utitur, hanc evacuationem promovere poſſit. Sint autem remedia diuretica neceſſe eſt talia, quæ vel relaxando & emolliendo renum ſubſtantiam afficiunt, eamque paulo laxiorem reddunt, quo tanto citius tranſitus materiæ ſeroſæ ad pelvim renalem contingat, & ſeceſſio Urinæ a ſanguine abſolvatur: vel quæ ſalinas particulas in humoribus materialiter augent, quæ cum ſero copioſius ad renes delatæ in ipſis ſtimulum ad motum leniter ſtrictorium producunt; quo materia ſecreta majore impetu & copia ad pel-

Pelvim protrudatur: quem tamen effectum in renibus non solum exserunt, sed, quoniam in Urina secreta manent, imo pro re nata concentrantur, ad Vesicam quoque per urethe-res vehuntur, ibique eundem effectum stimulatorium edunt: vel quæ muciditatem in sero hærentem simul colliquando fundunt, tenuiorem reddunt, & ita ad faciliorem ab humoribus secessionem, & transitum per colatoria disponunt: vel denique talia sunt, quæ sine effectu notabili aut perceptibili alteratorio in humores aut materiam excernendam, specifice quasi sale suo acerrimo & caustico, parcissima licet quantitate assumto, organa secretoria & excretoria ita afficiunt stimulando, ut motus excretorius inde sæpissime in excessu sequatur, gravissimisque subinde symptomatibus stipetur.

§. VII.

Animus non est, totam remediorum diureticorum farraginem nominetenus recensere ac perlustrare; sed satis erit pro scopo præsente, si cardinales illorum classes, e quibus depromenda sunt, indigitemus. Ad primam itaque classem referimus partim liquida aquea potulenta, potissimum tepide in copia assumta, quorsum pertinet potus Theé, Veronicæ, Coffeé: partim oleoso mucilaginosa pinguia, quo respectu in hunc finem commendari sueverunt nuclei fructuum varii, Persicorum puta, Cerasorum, Amygdalarum, aliique, quorum oleosomucida substantia liquidis aqueis sub forma Emulsionis facile communicatur; quippe quæ fibras optime emolliunt, earumque tonum relaxant, & eo ipso se tanto magis commendant, ubi diureseos defectus a spastica solitarum partium strictura derivari potest. Secundam diureticorum classem subeunt concreta salina puriora tam alcalina fixa, quam acida vulgaria, (exceptis Vitriolicis,) nec minus ammoniacalia urinosa; quo nomine ipse sal culina-

ris, omnesque sales e cineribus plantarum parati, si in debita, aut largiore quantitate assumantur, hunc effectum præstare valent. Ad tertiam pertinent maximopere sales, quos medios vocamus, ex acido & alcalino principio conflati, v. g. Tartarus vitriolatus, Arcan. duplic. Tartarus tartarisatus: imo ipsæ acidulæ ac thermæ, utpote quæ ex hoc principio alvum laxant, æque ac urinæ excretionem promovent. Nec minus tamen huc referri debent ea, quæ partes gummoso resinosas cum salinis permixtas habent, unde in hoc passu plurima quoque diaphoretica positiva e regno vegetabili conveniunt cum illis diureticis calidioribus & activis, quorsum pertinent Terebinthina ejusque præparata; Balsamus Copaivæ; Pareyra brava; Oleum Petræ, succini; & similia. Quartam denique classem constituunt peculiaria caustica & corrosiva; de quibus ex historia practica cognitum est, quod semper in viis urinariis stimulatorium edant effectum, præter quod in fluidis notabiliter aliqua inde alteratio notari possit: cujus generis sunt quædam Insecta, e quibus tamen vix præter unicum in officinis receptum prostat; nempe Cantharides: de quibus notissimum est, quod in paucissima quantitate propinatæ semper stimulatorium motum in renibus & vesica excitent; in paulo largiore autem quam par est dosi datæ, ardorem, & gravissimum stimulum provocent, quem sæpe arrosio partium interiorum sequitur, cum mictu cruento insanabili.

§. VIII.

Hisce generaliter ad hoc negotium spectantibus præmissis, ordo propositi postulat, ut proximius ad declarationem utilitatis, & noxæ progrediamur, quæ ab evacuatione hac, per artificium Medici provocata, sperari, aut metui potest; prout rite aut minus legitime suscipitur. Ubi omnium primo notamus, eam Diureseos promotionem & provocatio-

tionem maxime naturalem esse, quæ per primæ classis remedia obtinetur: dum per hanc methodum, ubi potulenta liquida in sufficiente quantitate suppeditantur, aut per lubricantia viæ disponuntur, naturæ nunquam vis infertur, sed hæc placidissimo modo sui officii admonetur; quapropter hæc methodus omnibus reliquis merito præfertur, & fere sine exceptione in plurimis casibus locum invenit. Reliqua vero remedia, quæ stimulando, motusque excitando effectum suum edunt, majorem requirunt medici circumspectionem, ne errorem aliquando committat; & loco sperati boni successus malum eventum cum ægrorum damno experiatur. Ut itaque legitimus Diureseos usus, æque ac ipsius abusus innotescat, haud melius pro nostro scopo actum iri confidimus, quam, si utilitatem ejus ex indicantibus, noxas autem ex contraindicantibus deducamus atque monstremus. Sustinemus igitur primo auctiorem Diuresin necessariam ac utilem esse, quando generaliter in toto corpore humorum seroso aquosorum ad muciditatem pronorum & inclinantium colluvies & copia abundans deprehenditur. Hoc nomine locum habet generaliore respectu in temperamento phlegmatico puriore, & omnibus reliquis, quæ de illo multum aut notabiliter participant: sicut enim humores serosi per se ad mucescentiam inclinant, ita lymphæ & sanguini permixti his quoque facile eandem contrahunt labem, præcipue cum subjecta phlegmatica præ aliis torpidiora existant, & ad laboriosos motus, quibus ceteroquin humores magis attenuari possunt, minus inclinent; & sub illa mucescentia ut plurimum corruptio humorum salsa ortum ducere soleat; quæ postmodum variis ægritudinibus hinc oriundis januam pandere apta est. Ubi simul notamus; respectu selectus remediorum diureticorum; quod in hoc casu solis liquidis, aut oleoso mucilaginosis, parum efficia-

efficiatur: quamvis enim pro dilutione humoris serosi aliquid præstare possent, nihilominus tamen hic loci sui commendationem positivam haud merentur, & quidem eam ob rationem, quod tonum partium solidarum magis magisque relaxent, eoque ipso ob atoniam inductam, hanc excretionem sufflaminent magis quam promoveant; ad quam non solum materiæ mobilitas & fluxilitas, sed simul viarum quoque debitum robur tonicum requiritur. Unde hic magis sese commendant, partim salina mediæ indolis, quæ humores mucescentes liquant funduntque, & stimulum simul partibus solidis imprimere valent: partim resinosogummosa, sale acriusculo prædita; quippe quæ aptissima sunt, ut in humoribus, æque ac in viis secretioni & excretioni urinæ dicatis, debitum effectum exserant.

§. IX.

Deinde utilem non modo, sed necessariam quoque Diureseos provocationem existimamus, quandocunque in corpore, ejusque massa humorum impuritas salina, aut salino mucida notorie præsto est, & vel morbos produxit, vel sub morborum præsentia generata est, suique excretionem urget & indicat. Ex hoc fundamento hæc excretio maxime proficua est in Febribus; & quidem præcipue in catarrhalibus; quæ ordinarie ab impedita & suppressa transpiratione peripherica originem ducunt: unde partes salinæ per cutim excerni solitæ in humoribus & sanguinis massa augentur, & propter stricturam habitus corporis justo majorem, circa internas partes detinentur, &, ne hic loci tanquam in tenerioribus partibus, acrimonia sua damnum irreparabile producant, naturæ ansam præbent, ut motibus secretoriis & excretoriis contra illos insurgat extraordinariis, easque e corpore eliminare studeat: in quo negotio neque proximius neque aptius reperiundum est organum secretorium

rium quam renes, quippe qui ejusmodi ſecretioni & excretioni ſalinæ ſemper vacant; atque ab illis particulis in comparatione ad reliquas partes, minimum afficiuntur. Nec tamen ſolæ ſunt febres catarrhales, quibus hæc evacuatio competit, utilisque exiſtit; ſed potius omnibus, licet gradu diverſo eam competere, aſſeverare poſſumus: in omni enim æſtus febrilis paroxyſmo ſanguis motu celeriore per partes ſpongioſas transpreſſus non modo incaleſcit, ſed ſub motus inteſtini orgaſtici acceſſu, tandem in partes ſalinas, tenuesque ſeroſas, ex parte reſolvitur: quæ in corpore manere nequeunt, ſed ut excrementitiæ ſui proſcriptionem poſtulant: cum autem propter ſubtilitatis & texturæ diverſitatem non per omnia ſeri emunctoria æque commode ejiciantur, hinc fit ut ſubtiliores per cutis poros ſub ſudore excernantur; ſed quæ crudiores ac craſſiores exiſtunt, aut ob peculiarem aliquando pororum contrariam diſpoſitionem, per corporis peripheriam eliminari nequeunt, ad vias urinarias demandentur, aut ſi ſponte hoc non ſuccedat, per medicam opem huc invitentur: cui ſcopo tamen in hoc caſu magis quadrant diluentia liquida, quam poſitiva ſtimulantia; quoniam ſub vehementiore ſanguinis motu antea jam ſalinæ partes non ſolum in copia generantur, ſed in acrimonia quoque exaltantur, ideoque dilutionem & contemperationem poſcunt; ita tamen, ut in illis febribus, quæ impuritates ſalino mucidas pro cauſa antecedente agnoſcunt, ſimul quoque diuretica paulo magis poſitiva, aut leniter ſtimulantia concedantur. Simile quid indicant illi affectus morboſi, quorum cauſa in humorum lymphatico ſeroſorum diſcraſia ſalſa aut mucida jure quæritur, quorſum referuntur ſcabies, aliæque cutis externæ ab hac cauſa dependentes defoedationes: nec poſſumus, quin idem dicamus de affectibus vere ſcorbuticis, imo etiam ſub certo re-

C ſpectu

ſpectu de venereis, ut pote in quibus peculiaris mucida humorum ſpiſſitudo occurrit, quæ reſolutionem, & fuſionem quaſi liquatoriam per remedia ſalina & acriuſcula reſinoſa requirit, ut poſtmodum, reſolutis muciditatibus, ſalinæ partes tanto promtius ad vias urinarias devolvi, ibique ſtimulo excretorio adaucto, excretionis viam inveniant.

§. X.

Pariter quoque huc referimus affectus bilioſos, quod nempe Diureſeos auctiorem provocationem tolerent non modo, ſed poſitive expetant. Cum enim ſub ordinaria urinæ ſecretione non ſolitarie partes ſalinæ, mucidæ, & terreſtres, ſed oleoſæ ac ſulphureæ bilioſæ, per ipſum odorem ſeſe manifeſtantes, ſecedant, facile hinc adparet, Medicum legibus naturæ non contrariari, ſi bilioſarum partium in ſanguine hærentium eliminationem per vias urinarias aliquando intendat. Etiamſi enim non ſuſtineamus, hanc evacuationem ſolitarie ſufficientem, nedum ſemper principalem aut primariam eſſe, tamen non impedit, quin neceſſariam illam ac utilem declaremus, ubi craſſiores & plurimæ partes per alvum jamjam excretæ ſunt, paulo tenuiores autem in humorum maſſa delitescunt, nec propter facilem ſanguinis commotionem orgaſticam metuendam ad cutis excretoria organa transferri poſſunt: aut ubi partes bilioſæ jamjam motu extraordinario ad ſanguinis maſſam translatæ exiſtunt, ſuaque præſentia & motu, ipſius craſin lædunt, varioſque effectus noxios producunt. Hinc illarum exterminationem per urinam ſuadere & commendare poſſumus, tam in febribus bilioſis, quam in affectibus ictericis, ea intentione, ut partes illæ ſulphureæ tanto citius ac promptius cum urina per organum paulo laxius tranſeant, & a ſanguine abſcedant, nec per multas ambages anguſtiorum

co-

colatoriorum transprimi necesse habeant, & plus laboris atque periculi œconomiæ animali facessant.

§. XI.

Quemadmodum in superioribus diureseos provocationem commendavimus in generaliore humoris serosi abundantia; ita longe magis illam suadere decet in actuali ipsius collectione aut extravasatione præternaturali, sive illa particularis, sive magis universalis fuerit. Quo intuitu in considerationem veniunt omnes affectus hydropici & leucophlegmatici, cum tota tumorum oedematosorum familia. Etiamsi enim nos non lateat, hanc evacuationis speciem non unicam esse, quibus hydropicis & oedematosis opitulamur, facile tamen illam haud infimam esse, asserere possumus: cum toto die videamus, in omnibus hisce affectibus evacuationem serosi humoris per corporis peripheriam esse difficillimam, licet humor evacuandus sub cute hæreat; & quamvis multum sæpe ipsius per alvinas excretiones exoneretur, hanc tamen ad constantiorem curam raro sufficere, nisi diuretica evacuatio largius succedat. Dubium equidem hic moveri posset, circa effectus certitudinem, ex fundamento incertitudinis viarum manifestiorum, per quas serum extravasatum ad vias urinarias resorberi ac revehi possit, verum tamen dubium circa historiam facti facile resolvitur per experientiam quotidianam, licet de vero ac specialissimo modo nondum adeo certi simus: sicuti enim in potatoribus strenuis aquosa humiditas longe citius ad organum urinæ excretorium pervenit, quam per ordinarium secretionis modum possibile esset, etiamsi veræ viæ nobis nondum sint cognitæ, per quas tam cito delabitur; ita quoque simili forsan modo serosa humiditas ad vias urinarias, per loca nobis adhuc incognita transire poterit: ut taceamus illum modum, quem Medici diapedesin vocant, & quem

 omni-

omnino negare haud licet. Scimus enim, ſerum naturaliter conſtitutum humorem eſſe tenuem & fluxilem, qui per peculiaria vaſa ſeparatim in corpore non vehitur, ſed quaquaverſum per poros membranoſarum partium facile tranſudat, & hoc ipſo modo etiam extravaſationem ſubit: nec deſunt ex anatomicis, qui poros veſicæ urinariæ ſingulariter conformatos eſſe aſſerunt, ut nempe ab extra quidem humiditatem admittant, nullam autem ab intra foras transmittere poſſint: quod, ſi utrumque concilietur, facile allegatam diapedeſin ſeri per membranas tunicasve veſicæ urinariæ ſtabilire & confirmare poteſt, ut ita nil amplius requiratur, præter ſtimulum excretorium in veſica excitandum; qui tanto commodius in effectum deducitur, quo magis in hunc finem eliguntur diuretica ex ſalium alcalinorum & mediorum familia prolecta, cum blandioribus reſinoſis alternata. Hæc enim optima ſunt in hoc genere, cum non modo ſtimulum exerceant, roburque tonicum augeant in partibus ſolidis, ſed antea materiam excernendam, ſi forſan mora temporis plus juſto mucida facta fuerit, mobilem reddant, colliquent, & fluxilitatem ipſi concilient, quo tanto aptior evadat ad transgrediendum, & ſucceſſive tanto promtius citiusque poros tam peritonei, quam veſicæ urinariæ penetrare valeat.

§. XII.

Ultimo tandem loco diureticæ evacuationis promotionem aut provocationem urget & indicat actualis Urinæ ſuppreſſio atque retentio: hac enim præſente, ſi naturalem neceſſitatem & utilitatem diureſeos reſpiciamus, ſane magis naturalis juſta & æqua concluſio & indicatio formari nequit, quam illa, quod defectus ipſius ſit reſarciendus, & excretio ad ſtatum naturalem ſit revocanda; id quod tamen fieri nequit, niſi per cauſarum antecedentium, aut continentium

remo-

remotionem. Sunt autem hæ causæ variæ atque diversæ; alio enim tempore subesse potest sola ductuum secretoriorum obstructio a materia mucida: alio vero infarctus sanguinis in renibus aut stasis inflammatoria, quale quid in nephritide simplici & calculosa accidit: cum alibi ipse calculus vel in renibus, vel in ureteribus, aut urethra hærens, causam suppressionis Urinæ constituat; aut spastica viarum urinariarum strictura a dolore vel alia causa prægressa, tanquam causa præsto est; quæ fere semper adesse solet, ubicunque nephritis, aut verus calculus adsunt, nec non extra hos casus præsens esse potest, si forsan per consensum ab aliis partibus vicinis spasmus in has quoque partes redundat: quale quid aliquando contingit sub tenesmoideis in testini recti tractionibus; pathematibus hæmorrhoidalibus, præcipue externis, & colicis passionibus spasmoticis. Possumus optimo quoque jure huc referre, & inter diureseos provocationem indicantia reponere, præsentiam materiæ apostematicæ, aut ulcerosæ in renibus, aut vesica urinaria hærentis: quamvis enim sensu strictiore ad hanc excretionem & quidem naturalem ac ordinariam non pertineant, eo tamen sensu huc pertinent, quod sine Urinæ excretione evacuari nequeant, sed una cum illa e dictis locis eliminari debeant. Ut autem in modo citatis casibus finis obtineatur optatus, necessitas & medici prudentia requirit, ut pro diversitate causarum negotium instituatur, vel per diluentia, mucidam stasin attenuando, fluxilemque reddendo, vel sub eadem intentione per salina tam alcalina, quam neutra: vel per emollientia & lenientia, quæ spasmum in nervis & fibris demulcendo, vias liberiores reddunt, & ita materiæ transeunti liberum quoque transgressum parare possunt: quibus aliquando succurrere debent

resolventia, quæ stases sanguineas inflammatorias discutere atque resolvere valent; aut abstergentia & mundificantia, quæ potissimum in subsidium vocantur, in abscessibus aut ulceribus, vias urinarias occupantibus: his enim si materia extra ordinem præsens non præparetur, & a substantia renum aut vesicæ separetur, frustra tentatur evacuatio per usum diureticorum, præcipue si paulo activiora & acriora fuerint: satis facile enim hinc quidem succedet stimulus excretorius in alterutra parte, aut in utraque; verum, cum hic non tam urinæ quam hujus materiæ peregrinæ evacuatio cum urina intendatur, eventus spei haud respondere poterit, nisi præparata prius fuerit materia specialiter evacuanda; sed potius a nuda stimulatione acriore graviores dolores in parte læsa orientur. E quibus omnibus hactenus propositis facile quisquam perspiciet, Diureseos facilitationem ac promotionem varium & diffusum satis habere usum in praxi medica: sed pari facilitate ex iisdem neminem latere posse speramus, quod positiva diureticæ evacuationis provocatio longe minorem præse ferat utilitatem ac necessitatem, præcipue, quæ fortioribus, acrioribus, & calidioribus remediis suscipitur: imo bona fide asserimus, valde raros esse casus, ubi Diuresis directe, solitarie, & positiva intentione exstimulatoria suscipi debet aut potest; quin potius asseveremus, plurimos ex allegatis casibus ita comparatos esse, ut maximam circumspectionem medici requirant, imo positivam eiusmodi diureseos provocationem, per stimulantia & acriora diuretica penitus non tolerent, sed ab iisdem varias noxas accipiant atque reportent: id quod in sequentibus fusius explicare ordo postulabit.

§. XIII.

§. XIII.

Quando itaque de noxis diuresin provocatam insequentibus loquimur, sermo nobis non est de illa specie provocationis, quæ per sola diluentia, aut emollientia & lubricantia efficitur, sed de illa provocatione positiva, quæ stimulantibus, acrioribus, resinosis, calidis, aut causticis suscipitur, & ad hanc ea quæ mox dicenda veniunt, restricta volumus. Nullatenus igitur locus est Diureticis positivis stimulantibus, ubi debita materiæ excernendæ præparatio neglecta est, haud enim sufficit sola materiæ, vel salinæ, vel mucidæ, vel apostematicæ & ulcerosæ, vel denique sabulosæ & calculosæ præsentia, sive illæ generaliter in humoribus, sive hæ specialiter in viis urinariis hæreant, nisi prius materiæ movendæ, & quæ præparari possunt, mobiles reddantur, & ad exitum disponantur. Unde semper præmitti debent vel diulentia, vel incidentia & digestiva, antequam ad ipsa stimulantia accedamus: hoc enim si non observetur, & materia excernenda adhuc in humoribus hæreat, renes ac vesica frustra stimulantur, eoque ipso facile sanguinis copioso influxui, infarctui, & stagnationi, imo circa renes præcipue nephriticis passionibus ansa datur: aut si materia expellenda in viis urinariis hæret, facillimo negotio firmius impingitur, a spastica strictura per stimulationem in partibus solidis excitata. Hæc materiæ præparatio respectum quoque habet ad Febres: cum enim in superioribus dictum sit, in febribus etiam Diureticam evacuationem suum præstare usum, in hoc negotio probe attendendum est, hanc quoque evacuationem, licet in febre utilissimam, non quovis tempore æque facile & æque utiliter succedere, sed cum diaphoresi hoc commune habere, quod maximam partem finitis febrium paroxysmis, & post mitigatum

æstum

æſtum, àb ipſa natura inſtituantur, ac promoveantur; eoque ipſo teſtentur, materiam illam excrementitiam ſalino ſulphureo ſeroſam in humoribus hærentem non ſtatim ſub primis motibus ſecedere, ſed ad ſeceſſionem promtam ac facilem diſponi debere; id quod a natura abſolvitur per motus, quibus ſanguinea maſſa ſub æſtu febrili per partes ſolidas & ſpongioſas fortiter transprimitur atque trajicitur, ut inde ſanguinis & lympha attenuentur, partesque heterogeneæ reſolvantur, & e reliquo ſpiſſiorum humorum nexu diſſolvantur, quo tanto melius ſub forma liquidiore & tenuiore in tubulos, aut poros organorum ſecretoriorum & excretoriorum penetrare valeant. Hinc merito prudens Medicus naturam ſectari debet, & ubicunque etiam in febribus e re ſua duxerit, diureſis ut provocetur, omnem eo curam intendere, ne motus ordinemque naturæ antevertat, & prius motus excretorios ſuſcipiat, atque promovere ſtudeat, quam per præparantia præmiſſa naturam adjuverit, materiam mobilem fecerit, & per temperationem æſtus febrilis infarctus ſanguineos, & fibroſarum partium compreſſiones, vel ut aliis loqui placet, ſpaſmos removerit, & ita partim materia movenda, partim viæ diſpoſitæ ſint, ut ex utraque parte negotium felicius ſuccedat.

§. XIV.

Non autem ſolum hæc cautela reſtringenda eſt ad ſolos paroxysmos febrium, ſed certo reſpectu ad totam febrem ejusque periodum, præſertim ſi febris de continuarum & acutarum claſſe fuerit: in his enim toto die experientia loquitur atque teſtatur, ſeceſſionem heterogenearum partium per urinam haud facile primis ſub paroxysmis, & ſub febris incremento ſuccedere, ſed tum demum in conſpectum prodire, quando per notabile tempus febris deferbuit, & ad

criti-

critica tempora pervenit, ubi successive, & quo magis ad declinationem tendit, urina turbida evadere, & de faciliore partium heterogenearum sequestratione testari solet, aut quo magis tempestive, & ante tempora critica alias consueta tale quid contingit, eo majorem de citiore febris terminatione spem suppeditat. Quod sicut in acutis evenit, ita non minus in chronicis quoque & intermittentibus observatur; quo magis enim per plures paroxysmos materia peccans subacta est, eo certius in sequentibus tam per cutim, quam per vias urinarias exterminatur: aut si sub primis statim paroxysmis per dictas vias saburra salino mucida ejicitur, tanto præsentius de materiæ peccantis, vel paucitate, vel mobilitate, & simul de feliciore ac faciliore febris superatione, perhibet testimonium.

§. XV.

Id quod de compressione fibrarum, & hinc pendente impedita urinæ secretione sub æstu febrili diximus, hoc quoque valet de statu insigniter plethorico, præsertim in habitu corporis apparente. Sicut enim Plethora in genere, tam vasa, quam fibrarum interstitia turgescere facit, eaque ex omni parte implet, ita necessario fibræ inter se invicem coarctantur, secretoria & colatoria organa intersperssa comprimuntur, aut vasa interjacentia intercipiuntur, ut facile hinc inde restagnationes & stases ortum capiant: tanto magis autem hoc fit, si plethora physice præsens simul commoveatur, & sanguis a causis variis expandatur. Simile quid aliquando accidit ab abusu diureticorum calidiorum, & fortiorum, v. g. terebinthinatorum præparatorum, olei nempe & spiritus, olei quoque Petræ, Succini, aliorumque subtiliore resinosa substantia cum sale stimulante scatentium, præcipue ad modum vulgi largiter assumtorum: haud enim ignota sunt

ex praxi vulgari exempla, ubi ab improvido illorum uſu, ſub doloribus lumborum, & hinc formato metu de calculo renali ſubjecta in graviſſimas commotiones febriles, & ſimul urinæ ſuppreſſionem, cum ardore ipſius, conjecta ſunt; ex nullo alio fundamento, quam quod ſub plethora eximie commota ſanguis quoque majore impetu ac pulſu ad renes delatus atque protruſus, per vaſorum ac tubulorum compreſſionem, & hinc accedentem ſpaſmum, ipſam urinæ ſeceſſionem impediverit. Unde ſub his etiam circumſtantiis ſuademus neceſſariam circumſpectionem circa ejusmodi remediorum applicationem, ne citra neceſſitatem aliquando ſymptomata provocentur aut augeantur, & neceſſariæ ſecretiones cum excretionibus intercipiantur.

§. XVI.

Longe magis adhuc peccatur in hoc genere, ſi actu jam ſtaſes inflammatoriæ circa renes præſto ſint, & ægri Nephritide laborent. Siquidem enim nulla ſtaſis inflamatoria facile ſine febre occurrit, ita neque hæc ſola adeſſe ſolet, & præterea ordinarie ſubjecta plethorica præ aliis corripit. Sub hoc rerum ſtatu facile quisque percipiet, tunc temporis plus quam ordinarie ſanguinis circa regionem renalem hærere, & ſub congeſtione huc facta compelli, quo partim renes & vaſa renalia, partim muſculi vicini diſtenduntur, & ad varias ſpaſticas tractiones occaſio ſuppeditatur, quibus viæ ſecretionis urinæ comprimuntur, arctantur, & ita ſeceſſio materiarum ſeparandarum ſufflaminatur. Quod ſi itaque in tali rerum ſtatu ſupra citatæ indolis medicamenta diuretica calida & acria deſuper exhibeantur, quid quæſo inde expectari poteſt, quam inflammatoriæ ſtaſeos augmentum, ſpasmorum incrementum, commotionis orgaſticæ atque febrilis exacerbatio; immo aliquando tanta ſanguinis

àd hæc loca congestio, ut vasa renalia sanguifera suum officium amittere cogantur, sanguinem dimittant, ut in pelvim descendat renalem, mictumque cruentum constituat. Cujus rei in memoriam incidit exemplum de Viro quodam plethorico, infarctu aliquo sanguinis circa regionem lumbarem laborante, tunc temporis quidem leviore, verum tamen dolores pressorios & tractorios in lumbis causante: hic metu, ut fieri solet, perculsus, dolores hos calculi prodromos esse, consilio fratris sui, qui theologus erat, & aliquando etiam rem cum medicis habebat, interne repetitis vicibus aliquot guttas Olei Petræ albi assumebat, & simul externe regionem lumbarem Linimento ex Ungv. Dialth. Ol. Succin. Laterino; Petr. rubr. inungi curabat: quibus adhibitis dolores & spasmi adeo augebantur, ut ex dolore ischiadico incedere nonsolum nequiret, sed intra biduum Mictu quoque cruento gravissimo corriperetur; ut sane multum laboris medico accersito inde emergeret, antequam periculosum hunc affectum debite debellaret. Quod unicum exemplum, licet plura in medium afferri possent, satis esse potest, pro demonstranda & confirmanda superiore veritate.

§. XVII.

Adhuc major requiritur circumspectio, & longe minus concessa est diureseos positiva provocatio, quando non simplex nephritis adest, sed talis, quæ a sabulo præsente, aut veris calculosis pathematibus oritur, & quæ ex præsentia spasmorum dolorificorum graviorum agnoscitur: in quo casu semper eo respiciendum est, ut spasmi leniantur & demulceantur, fibræ strictæ relaxen-

tur & emolliantur, quo facto longe facilius urinæ æque ac sabuli excretio sequitur. Unde hoc intuitu nitrosa & cinnabarina, cum diluentibus, aut emulsivis juncta, plus sæpe præstant, quam fortissima diuretica, a quibus nil nisi spasmorum exacerbatio sperari potest; cum sabulosa & calculosa materia ordinarie firmius impingatur, & tanto magis Urinæ progressum per vias urinarias impediat. Longe gravius autem imo gravissimum damnum ab usu fortiorum & positivorum diureticorum emergit, quando calculus, præsertim grandior, aut asperior vel in renibus ac Ureteribus, vel in Vesicæ collo aut urethra firmiter impactus hæret: hoc enim præsente portio illa ubi calculus hæret, distenditur, aut premitur, eoque ipso fibræ partis molesto sensu afficiuntur, quem necessario, modo superius descripto, sequitur spastica superioris & inferioris regionis strictura; sub qua calculus firmiter in ea parte detinetur, nec prius ex eo loco dimittitur, quam spasmus ad minimum in inferiore parte relaxetur. Quodsi itaque intali rerum statu Diuresis per remedia diuretica positiva urgeatur, & hæc operationem suam stimulatoriam in vias urinarias edant, fibræ magis adhuc stringuntur, & calculus tanto magis in loco detentionis obfirmatur. Quapropter Medicus hic sibi caveat, ne intempestive suscepta diuresi Urinæ confluxum vel in Ureteribus, vel in Vesica adaugeat, egressum autem ipsius ut & calculi nullo modo promoveat: haud enim deficiunt observationes de Vesica Urinaria in tali casu rupta, mortemque repentinam comitem habente. Etiamsi enim alliquanto facilior res sit, quando calculus alterutrum occupat ureterem, dum ex altero atere libera manet transeuntis urinæ via, nec tum urehra a calculo occupata est; tamen minus certus esse pot-

est

est Medicus de spasmorum subsequentium gradu atque effectu, præprimis in subjectis cholericis & sensibilioribus: de certitudine enim spasmorum subsequentium fere nullum unquam remanet dubium, de quibus certo in antecessum suspicari licet, quod graviores fieri possint, cum causa illorum reduplicetur: quod autem effectum illorum attinet, satis frequens testatur experientia, quod a renibus per ureteres ad vesicam usque sese extendant, & propter nexum partium ita continuentur, ut ipsa quoque urethra, aut vesicæ collum constringatur, quamvis nullus hic hæreat calculus.

§. XVIII.

Non equidem negamus rem esse difficultatis plenam in hoc negotio, cum Medicus corpus introspicere nequeat, & certo scire, utrum calculus grandior, aut minor in renibus, aut ureteribus hæreat; ideoque objectionem formari posse, dubium nos reddere Medicum, ut nesciat quidnam in tali casu agere debeat: ad quod respondemus; apodicticam quidem certitudinem de magnitudine, aut asperitate calculi liquido non adesse; hoc tamen certo Medico constare posse, partim ex signis pathognomonicis, & symptomatibus, partim ex reliqua ægri relatione de morbo jam consueto, quod præsens sit calculus: porro ex dolore in unica particula constante gravissimo, quem ægri accurate in tali casu testari solent, scire posse Medicum, calculum, sive minor, sive major fuerit, infixum atque impactum esse, & in itinere suo vel ab angustia naturali, vel spastica strictura ureteris, vel valvula intercipiente impediri, & hinc concludi posse, præsente tali causa haud licitum esse stimulum addere viis, cum spastica strictura hinc majus capere possit incrementum: sed

potius allaborandum esse, ut internis externisque remediis demulcentibus, antispasticis, clysteribus, fomentationibus, balneis, linimentis emollientibus, viarum strictura removeatur, spasmi relaxentur, & ita calculi impacti progressus facilitetur, quo facto urinæ successus sponte sequitur.

§. XIX.

Sicuti autem ratione renum & ureterum aliqua subesse potest difficultas, ita majore certitudine medicus judicium ferre potest in altero casu, quando nempe calculus urethram occupat, hic enim sæpius tactu, imo aliquando visu dignosci potest, tantoque certiorem reddere medicum, quid ipsi sit faciendum: nec adeo magna subest difficultas, si calculus vesicæ præsto sit, etiamsi in ipsa urethra non hæreat, sed exitum saltem vesicæ tegat, & situ inconveniente urinæ egressum sufflaminet, cum ex symptomatibus comitantibus hoc facili negotio dignoscatur. In omnibus hisce casibus nequaquam concessum est stimulantibus diuresin urgere: nil enim certius inde sequitur, quam spasmorum exacerbatio, quibus vesica in superiore sui parte versus exitum constringitur, & calculus tanto firmius hic detinetur, ipsaque urinæ excretio intercipitur, quoniam spasmi non in solo vesicæ fundo remanent, sed ad collum usque extenduntur, ut ita calculus ex omni parte inclusus, neque egressum propter loci angustiam, neque regressum ob spasmos impedientes inveniat: nec vanus hic occurrit metus de succedente in his partibus inflammatione, quæ facillimo negotio in sphacelum degenerare, ægrosque

que in maximum vitæ discrimen conjicere potest; ut taceamus de læsione continuitatis, quam calculus asperior sub affrictu inferre, simulque dispositionem ad ulcerationem partis insanabilem producere valet. Hinc iterato suademus, ut sub dictis circumstantiis cautum se gerat Medicus, ne ex sua culpa malum morbosum gravius reddat, ægrumque attentata medela plus lædat, quam ipsi opituletur.

§. XX.

Verbum etiam ultimo loco adjicimus de Diureseos promotione instrumentali chirurgica, per Catheteris adplicationem; qua mediante Urinam aliquando ex sola vesica subtrahere solemus, quando secretio illius quidem illibata, excretio autem læsa existit: id quod potissimum fieri solet quando calculus vesicalis, aut etiam renalis, exitum præcludit, suique retrusionem poscit, aut quando in fœminis gravidis aut parturientibus collum Vesicæ compressum urinæ exitum non concedit. Ubi breviter notamus, neque hunc modum semper adplicabilem esse, aut concessum, sed debitas quoque requirere cautelas, maximopere in eo fundatas, ut sub instrumenti applicatione omnis evitetur violentia intrusionis; ne dolores & spasmi, aut inflammationes inde in collo vesicæ nascantur: ne nimis sæpe & citra necessitatem, ob eandem rationem, repetatur instrumenti admissio: & quod omnium minime sit adhibendus Catheter, quamdiu in collo vesicæ notabilis deprehenditur spasmus, aut ipsius exulceratio, cum in tali casu vix possibile sit gravissimorum

dolo-

dolorum excitationem evitare, quos omnia illa incommoda, quæ in superioribus notavimus, ſequi facillimo negotio poſſunt. His ita expoſitis atque deductis, præſentis Diſſertationis ſcopo ſatisfactum eſſe confidimus, eamque ob cauſam gratisſima recolimus mente Summi Numinis benignitatem, quod vires pro voto noſtro conceſſerit, illudque iteratis vicibus precamur, ut laborem noſtrum in ſui gloriam, proximique emolumentum cedere benigniſſime concedat.

F I N I S.

